

ii Responsio ad Argumenta Cyr. Spang.  
et sua oua excludenda furtim supponit. Is autem nostra sententia sua subscriptione maximum robur addit: cap. i. Gen. Peccatum fæditatem appellat. Fæditatem (inquit) annexam corporibus & animis sentiamus Peccati esse pœnam. Cap. 4. Peccatum Accidens esse afferit, cum inquit: Tamen spirituales homines distinguere debent, inter Peccatum Originale & creaturam. Ac mansit in natura corrupta, generatio: sed ACCESSIT illud Diaboli venenum, pruritus carnis, & fada libido. Item: Qui isto veneno Peccati Originalis, à plâta pedis, usq; ad verticem infelix sumus, siquidem in natura integra hec ACCIDERE. Possent quidem plura huius rei in medium produci suffragia, sed quia molestus es medicus furens phrenetico, nec ut in rebus ciuilibus numeranda, sed ponderanda sunt sententiae, digerum saltem intendisse sufficiat. Quod si atrocius, quam in tali disputatione conueniebat, in aliquem inuectus sum, aut præter mansuetudinem & modestiam Theologo dignam tumultuosius aliquid dixi: non mihi hoc impunet, sed occasione, quæ non tam obtrulit, quam efflagitauit. Proximum nunc es, ut Flacciani reproba mentis pœnas expectent. Quas quidem optarim, ut effugere possent, sed obstinata obfirmataq; veritati aduersandi libido ita constrictos tenet miseros homines, ut saniora consilia, resipiscientiam suadentia, nec velint, nec possint admittere. Suo igitur exitio, in quod præcipites ruunt, relinquendos censeo. DE.

V S Opt. Max. Ecclesiam suam, inter hereticorum rabiem constitutam clementer per IE SVM  
CHRISTVM Filium suum.  
protegat, AMEN.

FINIS.

# Disputatio De viribus humanis.

AUTHORE ET PRÆSIDE,  
**REVERENDO**  
VIRO. D. THEODORICO SNE,  
PPIO, DOCTORE ET PROFESSORE THEOLOGO, IN  
Academia Tübingensi, Praeceptore suo reverenter colendo,  
4. Maij. in Aula noua, hora sexta matutina, exer-  
cendi ingenij causa, iuuante D E O, re-  
spondere conabitur,

M. JOSEPHVS CÖLLINVS  
Flachensis.



T V B I N G A E  
Apud Georgium Gruppenbachium.  
Anno 1582.

# DISPVTATIO DE VI. RIBVS HVMANIS, EX LOCO D.

PAVLI AD PHILIPPENSES SECVNDO:

Deus est, qui agit in nobis velle  
& perficere.

*Propositio prima.*

 Vemadmodum in primis hominibus, ad imaginem  
Dei creatis, multa ornamenta cernebantur: ita  
libertate etiam arbitrij præditi fuerunt, ut quod  
vellent, liberrimè facerent.

2. Sed cùm fraude astutissimi hostis impulsi, libertate illa sua  
abuterentur, ac id, quod rerum summus opifex, in mandatis dede-  
rat, neglexissent, libertatem illam amiserunt.

3. Quanquam enim posse illam etiam cladem, miseri morta-  
les ad peccata sponte feruntur, & præcipites ruunt, ac ea ratione  
ad malum liberi dici possunt: tamen in electione earum rerum,  
quæ ad bene beatitudinem viuendum pertinent, libertate illa laudata,  
planè exuti & spoliati sunt.

4. Et quidem in tantam, ea in parte, infelicitatem incide-  
runt: ut nisi Deus ipsorum animos reformauerit, in rebus spiri-  
tualibus, quæ Deo verè probantur, ne ad minimum quidem cona-  
cium elaborare possint.

5. Nec hoc ingenio excogitatum attulimus: sed cùm ex alijs  
scripturæ locis, tum verò in primis D. Apostolo Paulo, explora-  
tum certumq; proposuimus.

6. Is enim Philippensibus scribens, his verbis vsus est: Deus  
est, qui agit in nobis, & ut velitis, & ut efficiatis, pro bona  
voluntate. Philip. 2:23

7. Similem sententiam habet capite primo ad Philippenses:  
Is (inquit) qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Philip. 1:6  
Iesu Christi.

## IV

### Disputatio de

8. Videmus ex his Paulum, Deum in solidum facere auctorem, eorum conatum, qui laudabiles in homine existunt.

9. Nam cum Paulus dicit, Deum in nobis efficere, ut velimus: non facultatem illam animæ intelligit, qua homines velle & eligere aliqua possunt: sed de ea ratione, ut laudabilia, Deo gratia elegant.

10. Nam si vires humanæ, ad felices illos conatus, elaborari possent: non ascriberet hoc Apostolus diuino beneficio.

11. Reperiuit haud dubie his verbis Paulus γνώμην Christi dicentis: Sine me nihil potestis facere. Sed Apostolus id, quod Servator Dominus generaliter dixerat, in membra partitus est: ut ostenderet, & initia & progressiones, in veris vitæ rationibus Deo ascribendas esse.

Aug. lib. 2. de  
peric. cap. 13. 12. Diuus etiam Augustinus in eis librīs, quos de perseuerantia scripsit, Paulinam illam sententiam, quam supra attulimus, ita intelligit: ut in conuersione hominis, soli Deo gloriam, nihil autem humanis viribus relinquat.

13. Haec autem sunt eius verba: Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & operari, pro bona voluntate. Nos ergo volamus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari, pro bona voluntate.

14. Nam & Apostoli verba, ubi dicit ὁ θεός τοῦ οντού, ostendunt, Paulum omnia benigna & clementissimæ voluntati Dei tribuere.

15. Haec de viribus humanis sententia, & Pelagijs damnata hæresin, cum superbia coniunctam tollit: & gloriam soli Deo tribuit, ad quam toto vitæ nostræ curriculo, emitendum nobis est.

16. Vedit hoc etiam insignis ille, cuius supra verba attulimus, scriptor. Nam ijs quæ posuerat, statim subiungit: Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, ut sit humilius & submissa confessio, & detur TOTVM DEO. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quicquid agimus: quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum,

Iohan. 15.

### Viribus humanis.

sum, non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobis meti ipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Non est in potestate nostra cor nostrum, & nostra cogitationes.

17. Quanquam autem ea, que attulimus, ita sunt manifesta, ut de ijs nemo dubie are debeat: tamen & iam olim, & hodie etiam satis multi, non soli Deo laudem conuersionis tribuunt: sed conatus etiam humanos, in societatem eius laudis adsciscere volunt.

18. Docent enim illi, in conuersione hominis, cum diuino auxilio, concurrere etiam alias causas effectrices, rationem videlicet & voluntatem nostram, que causæ Domino in sarcientis nostris damnis cooperentur.

19. Pontificij autem statuunt, voluntatem semel à Domini spiritu emendatam, proprijs iam conatibus & viribus, Spiritui sancto cooperari.

20. Quanquam autem illi autoritatem D. Pauli, aperte repudiare non audent: tamen palam sententiae Apostolicæ repugnant. Nam ea nullasi nconuersione partes, homini relinquunt.

21. Nos autem Ieremiam, Paulum, & Augustinum secuti, statuimus: in solo Domino gloriandum: nec in his tantis rebus, ullam gloriolam homini relinquendam esse.

22. Et ne uno duntaxat in loco scripturæ, spem virilioræ ponere velle videamur (quamvis vel una vox credentibus sufficere possit) alias quoq; rationes, & quidem firmissimas illas, ex ipsis fontibus scripturarum desumptas, afferemus: sed ex cumulo paucas duntaxat allaturi, ne cum molestia longum faciamus.

23. Sed operæ pretium, nisi fallor, fecerimus. si rationes conuer-sionis, in tempora partiamur.

24. Inuestigandum ergo erit, quantum posse primorum parentum fædam defctionem, vires humanæ, ad ipsam conuersiō-nem emolumenti afferant: & quid posse emendationem possint: postremò quæ sit in rebus humanis, quantum ad arbitrij liberta-tem attinet, futura, in sempiterno illo aeo, perfectionis ratio.

A. iij

25. Nam

Jerem. 9.  
1. Corinth. 1.  
2. Corinth. 10.

Disputatio de

25. Nam si intellectui sumus, hæc omnia à Domini spiritu proficii, non certè arrogabimus nobis ea, quæ homini nemini, sed duntaxat Numinis debentur.

26. Primum autem certum est, non solum D. Paulum, in hac epistola ad Philippenses scripta; sed vniuersam scripturam, omnem vim libertatis, arbitrio humano in conuersione adimere.

27. Etsi enim certum est, in hominis regeneratione, Deum mentem & voluntatem nostram in melius emendare: tamen utraq; inter causas effectrices illius nequaquam numeranda est: cùm eam ad rem nihil emolumenti, impedimenti autem plurimum afferat.

28. Nam si scriptura nostras hac in parte vires imbecilles, si languidas, si eneruatas diceret, satis hoc esset ad conuincendum errorem illum, in quo plurimi hærent: sed eas vocat emortuas. Ergo quād diu in Adamo illo veteri sumus, in conspectu Dei & sanctorum, veluti mortui obambulamus.

29. Huius rei locupletissimus testis est Apostolus, qui ad Ephesios secundo scribit: Cùm essetis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis &c. Et id repetit in Epistola ad Colossenses. Quæ autem à mortuo vis, quæ efficacia expellari potest?

30. Et cùm Paulus testetur, eos qui in carne sunt, Deo non placere: quomodo homo carnalis, ad obsequium Dei elaborabit, quod Deo probari posse?

31. Nec tamen cùm vires hominis emortuas dicimus, facultates animi extinctas affirmamus: ut homo cum truncis & stipibus comparandus videatur.

32. Certum enim est, & rationem & voluntatem in eis rebus, quæ capiunt earum non superant, & ingeniosas, & quād cupidissimas esse: sed negamus illis facultatem in ijs rebus, quæ ad laudabiles Deo gratias rationes expectuntur. In ijs enim conatibus nibil est, quod ad nostras laudes auocare possimus.

Coloss. 2.

Rom. 8.

33. A

Vitibus humanis.

33. At verò scriptura sacra, nos hac in parte, etiam infra mortuos abijcit. Nam Apostolus testatur, concupiscentiam bellum Galat. 5. indicere Deo: & carnem concupiscere aduersus spiritum.

34. Neq; verò per concupiscentiam & carnem, duntaxat perturbatos illos concitatosq; motus intelligamus: sed ea etiam vitia, quæ in mente & intellectu hærent.

35. Cùm enim Paulus in Galatis opera carnis recenset, inter cetera etiam cultum simulachrorum, scelas & inuidiam numerat, quæ non in illa belluina parte, quam vulgo carnem vocamus: sed ipso animorum recessu & latebris cernuntur. Augustinus autem palam pronunciat, homines MENTE ESSE CARNALES.

August de ciuitat. Dei lib. 14. cap. 2, &c 3.

36. Ergo si Apostolo credimus, ita mens & voluntas nostra affecta est, ut in spiritualibus illis, bonos conatus, non modo non inueni: sed eis etiam è diametro aduersetur.

37. Locus ergo Paulinus supra ex Philippensis allatus, Ephes. 2. ita intelligatur: cùm nos natura filii iræ, non solum ad conatum parum habiles simus, sed etiam repugnemus Deo, non posse Medicinam nostris malis afferri, nisi Deus & in initijs & progressu nobis adsit: & id quod in illo rerum nostrarum, primo naufragio amissum est, & restituat, & clementer largiatur.

38. Sed ut quæ hactenus allata sunt, ab vniuerso genere, ad iustitiam auocemus, partibus illustrabimus, quantum vires humanae possint: & cum yvōuv Paulinam rectius intellectui sumus.

39. D. Augustinus definit libertatem, facultatem esse rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, malum ea desistente.

40. Ex hac definitione videmus libertatem arbitrij, à veteribus, duabus in rebus positam esse: in ratione redē iudicante, & voluntate laudabiliter eligente.

41. Et sanè antiquitas, vocabulum arbitrij ad intellectum, libertatis autem ad voluntatem refert.

Iam si

## Disputatio de

42. Iam si ex fontibus sacrarum literarum, probari poterit, nec rationem, nec voluntatem, in iudicando, in delectu, circa res spirituales, aliquid laude dignum præstare posse: certum erit, nihil hac in parte, viribus humanis ascribi debere, nec tantopere libertatem arbitrij extollendam.

43. Ex eo etiam hoc confincimus, Deum in solidum nostræ libertatis authorem constitendum, solum, si quid à nobis cum laudes sit, gloriam ascribendam esse: ut qui gloriatur, in Domino gloriatur.

44. Sed cùm de his agimus, nemo existimet, nos hominiis rebus externis eligendis, libertatem derogare: nam &flare & sedere, cibum capere & similia, quæ nō in rebus non sunt, eligere proprio arbitratu possumus.

45. Existimamus etiam, in urbanis rebus, quæ in vita moribusq; ciuilibus cernuntur, aliquid nostris viribus tribui posse.

46. Concedimus quoq; in his, multos Ethnicos, apud homines, laudem commendationemq; inuenisse.

47. Verùm his etiam qualibuscunq; conatibus, se opponit hostis ille mortalium perpetuus, multos transuersos ad nefanda scelera rapit: ut Neronem, Caracallam & alios.

48. Viderunt hoc etiam Ethnici aliqua ex parte: video (inquit Medea) meliora, proboq; deteriora sequor. Item illud adolescentis Terentiani, prudens, sciens, vidensq; pereo, nec quid agam, scio.

49. Quamvis autem ea, quæ à non renatis fiunt, suam inexterna urbanaq; vita laudem consequantur: tamen cùm à fide non profiscantur, laudem sanctimoniae apud Deum non inueniunt.

50. Et licet in his simulachra quedam probitatis sint, tamen cùm Ethnici homines, ea non ad Dei gloriam, sed laudem suam adiunxerint, gratiam in Dei conspectu exuerunt: ut illi sancti nequaquam dici possint.

51. Sic eruditè disputat Augustinus: auarorum prudentiam & temperantiam, non esse virtutes: quia non siant eo fine, quo debent:

## Viribus humanis.

debent, sed auaricie causa: ita virtutes Ethnicorum, quia non referuntur fide in Deum, esse peccata.

52. Non minus etiam scitè ab eodem authore scriptum est, August lib. 4. con. l. u. cap. 2. impios non esse verè pudicos, quia contentur à Domino.

53. Nouimus etiam hypocritas ad congressus publicos conuenire, audire conciones &c. idq; de industria facere, ut hominibus simulandi artificio imponant. Sed huius electionis & peruersi consilij non modò fructum nullum percipiunt, verùm pœnas etiam fatales suo tempore sensuri sunt: ut, qui Deo hominibus q; illudere fint conati.


54. Egregie ergo dixit Augustinus, Gentiles ponere oua, sed August. in Psal. non in nido Ecclesiae, hoc est, sine fide. 84.

55. Cùm autem de libertate arbitrij agimus, eum in rebus honestis delectum intelligimus, qui Deo probari possit, & sancta opera efficiat.

56. Quanquam autem ratio & mens nostra, habeat novas: évoicas quasdam, & discrimen quoddam honestorum & turpium: tamen cùm ad hypothesis ventum est, voluntas in delectu sepe aberrat, cùm res non honestate, sed emolumento, & ijs quidem, quæ duntaxat in hominum opinione sunt, meritur.

57. Hinc illud est, quod Poëta dixit: Propter regnum iustitiam etiam violandam esse.

58. Deinde etiam supra meminimus, quomodo ratione finis opera contaminentur, ut laudem apud Deum non inueniant. Nam De natu: & gratia superbia (ut scitè ab Augustino scriptum est) in recte factis inuidiosissimè obrepit: & ubi latatus homo fuerit in aliquo bono opere, se etiam superasse superbiam, ex ipsa latitia caput erigit, & dicit, Ecce ego viuo, quid triumphas? Iam si homo superbia locum dat, bis illa triumphat, & opera hominis omnem apud Deum gratiam exuvit.



B

Nam

Disputatio de

59. Nam apud D E V M bona etiam opera gratiam omnem amittunt, cùm animi elatio, gloriaq; studium, quod hominem solum diuinis laudibus ascribit, acceſſerit.

60. Videmus ergo, quām eneuatae sint vides humanae, ad præstandam externam etiam obedientiam, quæ in moribus vitaq; urbana cernitur, & Deo probari posſit.

61. Sed si de ratione, quam Philosophi quasi Dominam, & vi-  
tae doctrinæ faciunt, ex Apostolorum scriptis iudicandum est,  
quid quæſo laudis ei relinquetur?

62. Nam cùm Apostolus confirmet, nos non idoneos esse, ex nobisipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobisipsis, sed si aliquid idonei simus, id ex Deo esse, nihil certè tribuit rationi nostræ, cùm cogitationes etiam pias ei adimat.

63. Sic Augustinus ex Ambroſio sententiam egregiam repor-  
tit, inquiens: Non enim in potestate nostra es cor nostrum, &  
nostræ cogitationes: quæ improuiso offusa mentem animumq; con-  
fundunt, atq; aliò trahunt, quām tu proposueris, ad secularia re-  
uocant &c.

64. Sed sunt tamen quædam, in quibus mens nostra adeli-  
gates laudabilesq; progressus, elaborasse videri posſit, ut quod ex  
mundi fabrica colligit esse Deum: verum in his id, quod vtcung  
mente conceptum fuerat, profundissimis tenebris excipitur, &  
quasi absorbetur.

65. Nam vel Paulo teste intelligimus, quomodo illi, qui sibi  
ad exquisitissimas rationes eruditæ videbantur, gloriam immor-  
talis Dei transformauerint, nō ſolū ad mortalis hominis simili-  
tudinem effici, verū etiam volatilium & quadrupedum & re-  
ptilium.

66. Et ut in his rationis nostræ anilia sunt deliria: ita vo-  
luntas errores illos amplectitur, & mordicus tener: & præclaræ  
ſatisfacere ſibi videtur: Si colendi Dei intentionem curamq; qua-  
liscunq; tandem ea ſit, habeat.

Aug lib. 2. con.  
Iul. col. 979.

Roman. 1.

67. Locuple-

Viribus humanis.

67. Locupletiorem de his testem afferre vix poſſamus, quām Auguſtinum, in prioribus libris, quos de Ciuitate Dei ſcripsit:  
in quibus stuporem Ethnicorum, circa ſacra & cultum Deorum,  
depingit.

68. Sed ſi vides noſtras, ad calculum ſeu eriorem vocaueri-  
mus, & in reliquo, que in ſpiritualibus rebus poſita ſunt, ex ami-  
nauerimus: quām illæ erunt ridicula? quām ad delirium igno-  
ranciæ & tenebrarum abiectæ?

69. Agnoſcie ratio, aliquo modo officiosos nos eſſe, in alios  
homines, debere: ſed quantos cachinnos tollit, cùm ex Domini lege  
ad fertur, proximos amandos, ſicut noſipſos?

70. Quanquam enim homines Ethnici fabulas quædam de  
eis amicis, qui ſalutem ſuam pro amicis neglexerant, admirantur: tamen id excellentia quadam virtutis factum eſſe, nec à no-  
bis requiri existimant.

71. Iam cùm inimicis etiam beneficiendum eſſe dicimus, af-  
ſentiri non poteris. Nam in animis humanis hoc Axioma eſſe:  
Odio persequendos inimicos: amicis autem duntaxat benefici-  
endum eſſe.

72. Eſi autem & ab Ethniciſis quædam, ad imitationem ac-  
curatioris illius Philosophiae Christianæ, facta videntur, & qui-  
dam beneficisse aduersarijs ſuis ſcribuntur: tamen ea non à  
vero animi proposito, ſed ſpe vel glorie, vel emolumenti, profecta  
ſunt.

73. Nam & in dolorum perpeſione, quidam in columbitatem  
neglexerunt: ſed non erat ea vera patientia, quæ laudis præmio,  
non virtutis amore accendebaratur. Itaq; neceſſe fuit, eas Ethnico-  
rum laudes, apud Deum prorsus euaneſcere, & veluti lichneolos  
oleo defituros, extingui: cùm omnis gloria Deo debeat, homini  
aucem confuso.

B ij

Quid

## Disputatio de

74. Iam verò Apostolus fatetur, ignoraturum se fuissit, Concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, Non concupisces.

75. Quid autem in illa legis diligentis explicazione maius est, quād quod tacitarum etiam cogitationum rationem Deo reddere cogimur?

76. Quād autem nostrarum mentium crassa ignorantia in his est, quae ad salutem nostram requiruntur?

77. Tota ratio iustificationis, nostræ intelligentiae ridicula est; neq; enim fieri posse existimat, ut alieno merito seruemur.

78. Nihil etiam tam exploratum habere opinamur, quād quemlibet sua probitate estimandum.

1. Corinth. 2. 79. Deniq; animalis homo, non accipit ea, quae sunt spiritus Dei: stultitia siquidem illi sunt, neq; potest cognoscere, quod spiritualiter dijudicatur.

2. Corinth. 1. 80. Hinc sit, ut palam Apostolus testetur, Dominum infatuasse sapientiam mundi huius.

Eti. 29. & 28. 81. Et Dominus in Esaiate testatur, rei scire se sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium.

82. Cum ergo ipesus Sapientia iudicio, mens nostra inepta & stulta dicatur: quomodo nos eam in rebus spiritualibus sagacem & sapientem pronunciabimus?

83. Nec debet libertas tribui ei facultati animæ, quānos in summam seruitutem, nocitutram saluti animæ nostræ, coniicit, ut nullis fidei articulis credamus.

84. Nam mens nostra articulis fidei omnibus repugnat: quia rationes modumq; non intelligit.

85. Sed in his omnibus & hallucinationibus & erroribus rationis nostræ, voluntas veluti pedis sequaque plerumq; obsequitur.

86. Tanta est autem humanæ naturæ peruersitas, ut eis in rebus, quae ad externos mores, quibus hominibus satis fieri potest, pertinent,

## Viribus humanis.

pertinent, voluntas separationi recte suadenti, non obediat: in his autem, quibus ea toto calo errat, libenter obtemperet & obsequatur.

87. Cum ergo & in genere, & in specie etiam ostenderimus, arbitrij nostri vires ita debilitatis, eneruatas, emortuas, & præterea etiam rebelles, ut aspirare ad Conuercionem nec possint, nec velint: nulla illis laus, sed duntaxat vituperatio, immo verò & pena debetur.

88. Rectè ergo D. Apostolus in Philippensibus, bona voluntatis authorem DE VM facit: Ipse inquit, operatur in nobis.

89. Sed Scriptura testatur. DE VM mentes etiam hominum illuminare, ut à nocte ignorantiae & mortis liberentur. Illumina (inquit David) oculos meos, nee obdormiant in morte. Psalm. 12. Et Paulus pro Ephesijs precatur, ut Deus gloria det ipsis spiritum sapientiae & revelationis, per agnitionem sui: illuminatos oculos mentium, ut sciant, quae sit spes. Ephes. 1.

90. Statuamus ergo cum Paulo, Dominum in conuersione, per Spiritum sanctum suum, nos reformare in melius: & operari, ut & intelligamus & velimus id, quod ante nolebamus.

91. Haec Augustinus his verbis exprefcit: Non igitur tantummodo in hoc nos adiuuat DE VS, ut sciamus, quid agendum sit: verum etiam ut amando agamus, quod discendo iam scimus.

92. Ita verò in his elaborat Spiritus sanctus, ut non emendati duntaxat, sed regenerati dicamur.

Iohann. 3. 93. Et in hanc sententiam Paulus scribit, Nos esse opus Domini, conditos ad bona opera, Item, esse nouas creaturas.

Ephef. 2. 94. Quod tamen non ita accipiendum est, ac si in nouam substantiam abierimus, sicut sentiunt Enthusiastæ: sed quod beluinam feritatem exuerimus, nunc in seruitutem Domini, liberalem illam, obsequiumq; laudabile addicemus. Gai. 6.

## Disputatio de

95. *Etsi autem Dominus in conuersione nostra, verbo & Sacramentis, veluti instrumentis viritur: tamen ea primò & per se causae non sunt Conuersionis. Nihil enim in animis humanis efficiunt, nisi Spiritus sanctus verbum in mentibus nostris accenderit, & fidem fuerit largitus.*
- a. Corinth. 2. 96. *Multi enim verbum sine emolumento, imò verò ad iudicium audiunt.*
97. *DEVS ergo operatur, ut nostra voluntas, in illo bonorum delectu, non aberret: imò ut ea ex veteri homine in nouum transmutetur?*
- Ioan. 6. 98. *Voluit hoc Christus, cùm dicit: Nemo venit ad me, nisi pater meus, qui misericordia me traxerit eum.*
99. *Eſc autem ea eiusmodi tractio, ut non in uitios trahat: nam voluntas coacta, voluntas non eſc.*
100. *Hoc tamen non ita eſc accipiendum, quod Dominus eos, quos regenerare & conuertere vult, volentes inueniat: Sed quod ex nolentibus & repugnantibus, volentes & dociles faciat.*
101. *Placer hīc etiam adferre Augustini sententiam, qui ad Bonifacium scribens confirmat, nostram voluntatem à Domino TRAHIT, non DUCIT. Et paulò post dicit, non id ea ratione fieri, ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*
102. *Propterea etiam Paulus non dicit, Deus adigit & cogit suos, ut velint, sed operatur in ipsis velle.*
103. *Et sic quidem initia Conuersionis nostra Deo debentur: & caudum diligenter eſc, ne homo de hac Domini gloria deliverare, ac auocare quid velit ad propriam laudem.*
104. *Sed tenendum eſc, non modo initia, sed progressiones etiam soli Domino acceptas ferendas esse.*

105. *Idcirco*

## Viribus humanis.

105. *Idcirco dicit Apostolus, quod efficiat in nobis etiam PERFICE RE. Neq; enim satis effet, semel cœpisse, nisi in hoc pietatis studio nauiter pergeremus.*

106. *Hoc voluit etiam, cùm ad Philip. cap. 1. scribit: Is qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsq; ad diem Iesu Christi.*

107. *Et Petrus testatur, Dominum instaurare, fulcire, roborare, stabilire suos, ne patientur se afflictiones de gradu deiijcere.*

108. *Videmus ergo, Deum in afflictionibus voluntatem nostram confirmare, ne in miserijs languidior fiat: & proinde semper assistente nobis gratia opus eſc.*

109. *Hoc vult D. Augustinus, cùm dicit, Deum trahere homines suis voluntatibus: sed quas ipse operatus fit.*

110. *Icaq; non existimandum eſc, voluntatem iam emendatam & renatam, in studio pietatis, ita cooperari Spiritui sancto, ut ipsa de suo aliquid, quod non acceperit, afferat: quemadmodum hos alteri boui iunctus, suas vires ad extrahendum aratrum affert, & cum robore alterius coniungit: sed omnis conatus bonus in homine, opus eſc Spiritus sancti.*

111. *Ergo velle voluntatis eſc, bene autem velle Spiritus sancti. Et voluntas quidem cooperari Spiritui sancto dicitur, sed renata: & quidem ita, ut quod in eius conatu laudabile eſc, Spiritui dunt axat sancto, qui mouet voluntatem, ascribendum sit.*

112. *Augustinus hac ita proponit: Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nos ab. cap. 17, hiscum cooperatur.*

113. *Ideo necessarium eſc homini, ut gratia Dei non solum iustificetur impius, id eſc, ex impio fiat iustus, cùm redundur ei bona pro malis: sed etiam, cùm fuerit iam iustificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & INCUMBAT super ipsum, ne cadat.*

Lib. de Coop. & gra. cap. II.

Dicit

Disputatio de

114. Dicit Augustinus Gratiam ambulare cum homine, sed ne nimium voluntati nostra tribuere velle videretur, diserte addit, gratiam INC VMB E R E super ipsum, ne cadat.

115. Non ergo probamus eorum sententiam, qui voluntati Synergiam talem tribuunt, quæ dea sanata aliquid habeat, quod ad proprias laudes possit adiungere.

116. Ex his omnibus constat, cum in laudabilibus conatibus Spiritu sancto omnia accepta ferenda sint, voluntati autem nostra ex proprijs viribus nihil, nomen liberij arbitrij, quando de non renatis agitur, inane esse: & arbitrium, quale à corrupta nostra natura profiscitur, potius seruum, quam liberum dici debere.

August. lib. 2.  
con. Iul.

Lib. 2. Retract.  
capit. 1.

117. Augustinus certè scire dixit: laboratum esse pro libero arbitrio, sed viciisse tamen gratiam.

118. In renatis autem dicere possumus liberum: rectius autem liberatum nuncuparemus, cum in eo Deus operetur velle & perficere, sicut habet sententia Paulina.

119. Quamuis autem nostrum arbitrium liberatum sit, & Dominus largiatur, ut & velle & perficere possumus: tamen non existimemus, nos iam ad summam perfectionem peruenisse.

120. Neq; enim ignota sunt Pauli querimoniae, quæ extant ad Romanos septimo.

121. Nam manent & in renatis, reliquiae veteris Adami, que cum renouato homine perpetuo bellum gerunt.

122. Hæc pugna tam trifis & molesta sanctis est, ut Paulus cupiat ex hoc corpore mortis obnoxio, exoluiri.

123. Vera autem non modo virium nostrarum, sed etiam totius hominis libertas expectanda est in illo sempiterno ævo: ubi mortale corpus nostrum induet immortalitatem, & ab omni labe peccati purgabitur, & Deus erit omnia in omnibus.

Viribus humattis:

124. Multa aduersus ea, quæ diximus, adferuntur: sed cum S. sanctus nunquam secum discrepet, fieri non potest, ut ea, quæ contra apertas & solidas rationes Paulinas afferuntur, vera sint.

125. Nam si in nostra conuersione, & omnibus rationibus vite nostræ, omnis gloria Deo debetur, & derogatur humanis conatibus: quomodo nobis arrogabimus, quod nostrum non est? cum oculos eius iudicis subterfugere non possumus, quia tacitas cogitationes nostras in conspectu habet: & de ijs etiam in illo tremendo Iudicio indicaturus est?

126. Nam quod præcepta & adhortationes ex sacris adferunt, & Pontificij ex eo extruere conantur, quia Dominus imperet, liberum esse homini, in rebus & bonis & malis delectum, nam Deum impossibilia non præcepisse: nemo vel mediocriter dolens est, qui non intelligat, id nullo satis probabili colore, contra nos afferri: cum ex D. Apostoli Epistolis constet, legi diuinæ non posse nostris conatibus satisfieri.

127. Certum etiam ex eiusdem scriptis est, mandata ideo proponi, ut nos de nostra imbecillitate & miseria commonefacere possumus, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Rom. 3. DEO.

128. Quis autem non videt, legem nobis idcirco etiam proponi, ut normam vitae reæ instituenda habeamus, ne ad figmenta cordis nostri, & opiniones de ingenio nostro conficiat, conuersi, omnem & fructum & gratiam eorum, quæ fecimus, apud Deum amittamus?

129. Similiter etiam adhortationes non probant, expeditum nobis esse id, quod in commonefactionibus illis est sequi: cum Dominus ita suas cohortationes instituat, ut interim non velie nos obliuisci, quod absq; diuino auxilio, nihil vel laudabiliter instituere, vel cum approbatione absoluere possumus. Id enim ut

C

ex Paulo

### Disputatio de

ex Paulo suprà docuimus, in soia Dei potestate, & benigna eius voluntate, possumus es.

130. Non debemus negligere D. Augustini scitè in hac parte veliter à scripta, præsertim illud, quod habet in libro de Naturæ Gratia, cùm inquit: Non Deus iubet, sed iubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.

131. Quid potuit autem ad eam rem luculentius afferri? quād quod idem auctor habet in libro de libertate Arbitrij ad Valentinum cap. 16. vbi cùm aliquot sententias scripturæ attulisset, quæ aliquid tribuere arbiterio hominis videbantur, alias adducit, quæ solum Deo perficiendi facultatem ascribunt: & sic eas conciliae: Magnum (inquit) Pelagianis scire putant, quando dicunt: non iubet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? sed ideo iubet aliqua, quæ non possumus, ut nouerimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa enim es fides, QVÆ ORANDO IMPETRAT, QVOD LEX IMPERAT.

132. Et ad locum Ecclesiastici: Si volueris, conseruabis mandata: non modò ali am ex eodem libro sententiam affert: Quis dabit in ore meo custodium &c. sed solutionem verè theologicam addit: Certum (inquit) es, nos mandata seruare, si volumus, sed quia preparatur voluntas à Domino, ab illo petendum es, ut tantum velimus. Et ibidem ex interallo: Certum es, nos facere, cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus. Et rursus cùm dicit: Faciam ut facias, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebas. & dabo cor carneum, unde facias?

133. Simile es, quod habet in libris Confessionum: Tota spuma, nisi in magna valde misericordia tua. Da, quod iubes, & ubi quod vis. Et in fine capituli: Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.

134. Quis non videt Augustinum locos eos Scripturæ, qui vel mandatum, vel adhortationem habent, ita accipiendo iudicasse, in intera

### Viribus huīmanis.

interea de remedio & auxilio diuino cogitemus? & liberè conficeamur in Deo querendum esse, quod innenire in nostris viribus & co-nariibus non possumus?

135. Voluius autem hæc afferre, ut intelligerent omnes, eas solutiones, quas nos ad aduersiorum obiectos locos afferimus, non domi nostræ natas, sed iam olim à magno illo Ecclesiæ lumine Augustino, aduersus Pelagianorum hæresin usurpatas esse.

136. Deniq; cogitemus semper, locos Scripturæ obscuriores ad analogiam earum Scripturarum exigendos esse, quæ quād aperiissimæ sunt: nec dubitationem ijs, qui dociles sunt, relinquunt: qualis sanè es, ille locus, quem ex Paulo attulimus.

137. Dominus Seruator, Redemptor & Liberator noster, Iesus Christus, clementer efficiat, ut virtutem libertatis veræ, quam ipse in animis nostris efficit, experiamur, & quotidie ad profectum elaboremus, ut cum gaudio & letitia aduentum ipsius expectemus, ac deposita tum omni peccati labe, innocentes,

perfecti, & sancti cum ipso, in omnem æternitatem vivamus,  
Amen.

F I N I S.